



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

153 An sex menses vel vllum certum tempus implendis permutationibus
perfixum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

in permutationem venire; sic videlicet, vt alter permutantium nunc in præsentia det, alter vero tum demum quando res illæ fuerint in rerum natura: veluti si quis fœtus aliquos animalium vel messem futuram permutet cum suppellectili iam parata præsentique. quod licet Siluester atque Dominicus Soto negent, verissimo tamen iuris videtur nisi fundamento, cum res nondum natas in emptionem & venditionem vel etiam stipulationem venire certissimum sit, quin & res incertissimas & fortasse nunquam exituras, vt iactum retis; vt rectissime Nauarrus, talem permutationem defendens, adnotauit in suo Enchiridio Cōfessar. cap. 17. nu. 283. litera marg. C. Quod quia præsentis loci non est, nos hoc tempore nec in hanc nec in illam partem concludere constituimus.

Quod autem propositæ quæstionis est de duobus diuersarum diocesium Pastoratibus vel aliis beneficiis incompatibilibus (quæ dicuntur) permutandis, & ex interuallo hinc inde resignandis, iure quis aliam deinceps hanc moueat quæstionem quid si sex integri vel etiam plures interim labantur menses, an ne tum quidem post interuallum tam longum ceseatur ipso iure vacare pastoratus proprius, ita vt per quemuis impetrari possit, & quidem à collatore superiore, vt ac tanquam ad quem ex Concilio Lateranensi ius conferendi deuolutum sit iuxta cap. 2. s. de concess. Præbend. præsertim cum permutantes grauitè peccare videantur in tam longa dilatione.

Respon-

153
An sex menses
vel vllis cer-
tum tempus,
implēdis per-
mutationibus
præfixum.

Respondet ex aliis non malè Rebuffus d. tit. de permutat. nu. 39. cum neque vacet hic pastoratus proprius, neque tempus vllum certum sit à iure præfixum permutationibus implendis, nullas adhuc superioris collatoris esse partes, in conferendo scilicet: verùm si res extrahatur nimium, superioris est curare vt res vel expediatur vel in nihilum redigatur. quæ quidem quæstio de perficiendis beneficiorum permutationibus, etiam post vtriusq; permutantis resignationem Episcopo collationem differente, generalis est; à Federico Senensi luculenter explicata d. suo tractatu quæst. 29. Lepidæ porro quæstionis est, quid si permutantium alter qui permutationem non impleuit & cuius beneficium alteri compermutantium iam collatum est, inter has alterius moras moriatur (post viginti tamen dies à permutatione lapsos ob Regulam Cancellariæ 18.) quònam deueniat beneficium hoc alterius nondum resignatum vel quid eo fieri debeat? Sanè si de beneficiis huiusmodi quærat in incompatilibus, dubium non est quin prius beneficium superstitis ipso iure nunc vacet per alterius adeptionem pacificam iuxta d. capit. de multa. §. de Præbend. At si de simplici quærat defuncti compermutantis beneficio iam superstiti compermutanti collato, vel etiam de alterutro non simplici (sufficit enim simplex esse dumtaxat alterutrum) superstes vtrumque retinere summo iure poterit; nisi quatenus religione plura-

154

Collator superior an hic propter moras possit aliquid.

155

Quid si moriatur is qui permutationem impleuit priusquam sibi vicissim impleatur?